



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 80. Quotidie apud vos sedebam in templo docens & non me tenuistis. v.
55.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

quomodo pijsimum cor tuum ferre potuit, ut dilectum filium tam dira pati videres nec ei tamen ferres opem & auxilium! ut quid, ô Pater, Pater, ita dereliquisti eum? cur paterna tua viscera non sunt mota compassione erga dilectum unicum tuum? quiste, peregrinus vicit amor? Agnosco animum? sed quæso, quid est homo, quod sic amas eum, misereris hominum peccatorum & deseris unicum tuum! ut homines apud te exaltentur in cælis! filius tuus tam ignominiose humiliatur in terris, ut peccator reus & impius liberaretur ab inferis! sanctus innocens, impollutus, unicus tuus qui nunquam peccatum admisit, miserandum in modum & tanto cum impetu tractatur & ducitur ad mortem, quid hoc? capere non possum. Unum te rogo, ô Pater benignissime, propter unigenitum tuum quem tam horribiliter percussisti propter scelera nostra & totum tradidisti in manus crudelium turbarum, quæ eum ita enormiter tractant sine causa, ordine & modo, ut in omni actione mea omnia non impetu & præcipatione mentis sed cum ordine, pondere & mensura id est discretionem, præmeditationem, prudentiam, fortitudinem & serenam conscientiam agam, ut sic per me lauderis & omni hora benedicaris. & iste sit fructus unus sanctæ Passionis.

§. 79. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. v. 55.*

Exprobrat hic cohorti indignum modum & minime necessarium, ipsum comprehendendo, nempe, tanquam latronem, qui tanquam Propheta sanctus apud ipsos habitus fuerat, bene meritis in multis, sanaverat plurimos à morbis variis, cibaverat tot millia in deserto esurientium &c. his tamen insuper habitis, adhuc eum velut latronem capere venient. Merito hoc dixit Iudæis, ut in se reversi quandoque agnoscerent quam ingrati fuissent & inique egissent.

O Domine omnia verba tua tendunt ad docendam virtutem & sapientiam, qui es ipsa sapientia Patris, & verbum. ô quoties simili modo mihi peccata mea, Deus meus, exprobrare potuisti, pullasti ad ostium cordis mei per inspirationem tuam, beneficiis blanditus es, consolatione demulcisti, afflictionibus compulisti & tamen repulsam passus es semper, vel certe plurimum, dorsum tibi verti, quod ipsum tamen benigne sustinuisti. Nunc ergo doce me sedium tuarum sapientiam, quæ mecum sit, mecumque laboret, ut sciam quid acceptum sit deinceps coram te & perficiam.

§. 80. *Quotidie apud vos sedebam in templo docens & non me tenuistis. v. 55.*

Pergit exaggerando beneficia, quæ Iudæis exhibuit. Inter alia quod

quotidie docuerit ipsos omnem virtutem & sapientiam, concionando, Moysen & Prophetas explicando in scholis, synagogis, templo & foro, in pueritia, in virili ætate circumeundo pagos & castella, mari, terra, & non tenuissent eum, cum potuissent, & ipse lubentissime semper teneri voluisset, sed alio modo, nempe charitate, fide, imo manducatione corporis & sanguinis sui ad salutem animarum & corporum ipsorum in vitam æternam.

O Deus quotidie etiam docuisti me à juventute mea, & nunc doces verbo & exemplo intus per sanctas inspirationes, foris verbo & exemplis sanctorum, qui undique clamant ad me: *revertere, revertere*, desine ab iniquis propositis tuis, serua mandata, dilige Deum, dilige proximum. sed pro auscultare nolui, cum fatuis virginibus dormitavi: Nunc igitur Rex gloriæ, propitius esto mihi peccatori & per insitam bonitatem tuam ignosce mihi, quod unquam à rectitudine sanctorum mandatorum tuorum averti cor meum, sequens pravam voluntatem meam, & abiciens ac deferens sanctam voluntatem tuam me ad virtutum studia invitantem, & quomodo ô Deus meus tam cæcus sum corde ut me vel ad momentū avertam à te summo bono, unde mihi salus omnis & bona cuncta proveniunt? & contra ad terrena, caduca, & labentia me convertam, ex quibus non nisi damna perditio & omnis miseria ad me dimanant. Non amplius, mi Jesu, non amplius fiet. Tua gratia adjutus, convertam me ad te; tu convertere ad me; clama ne cesses, & ego audiam voces sanctorum verborum tuorum.

§. 81. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ Prophetarum, v. 56.

Colligit hic quasi summam eorum quæ dixerat Evangelista, vel rationem dat dicti quotidie apud vos sedebam in templo docens & non me tenuistis, quasi diceret: quare non tenuerunt eum? ut adimplerentur scripturæ Prophetarum: Prophetæ enim omnes de ipsius morte scribentes prædixerunt, quod debuerit vendi, capi, ligari, tradi gentibus, illud, flagellari, coronari, & tandem crucifigi, & hoc postquam sensum Prophetarum de se & de mysteriis novi testamenti explicuisset in Synagogis & in templo aperte docuisset, se verum Messiam, missum à Deo Patre in mundum, quem Patres antiqui expectassent tanto cum desiderio, miraculis probasset veritatē, prædicasset per villas & castella, omnes de se figuras & Prophetias veteris testamenti pene impleisset, adhæc novum Testamentum instituisset, Sacerdotes novos creasset, qui offerrent Deo Patri sacrificium incruentum.